



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

XV. Epistola Ecclesiæ Bambergensis ad Adelbertum Archiepiscopum
Moguntinum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

respicere & confouere. Vnde solita pietate vestra confisi, dispoliati, & immoderata rerum nostrarum deuastatione penè iam desolati, genibus vestræ commiserationis cum lacrymis, & querelis per nimium necessariis prouoluimur. Si quid enim ab hostium immanitate relinquatur, hoc totum à vestris ministerialibus quibusdam vbique deuastatur: vbicunque possunt, sine respectu Dei & vestri. Quorum illi quidem qui apud HAMERSTEIN præsident, octo carradas vini nobis hoc anno abstulerunt. Oleum autem, quod ad Quadragesimale tempus deputatum, M. cum præter eum deferretur, ex toto præripuit. Porrò R. cum suis complicitibus omnia nostra suæ domui contigua, vsq; ad desolationem deuastauit. Ecce qualia nos vestri à vestris patimur: sed adhuc peiora veremur: nisi Deus, & vestræ iussione auctoritas quanto cyus subuenire dignetur. Rex regum, & Dominus dominantium, vitam & honorem vestrum, Serenissime Domine, prout expetit necessitas totius Imperij, prolongare atque conseruare dignetur.

XV.

Epistola Ecclesie Bambergensis ad Adelbertum Archiepiscopum Moguntinum.

Adelberto sanctæ Moguntinæ sedis Archiepiscopo, & Romanæ sedis Legato, sanctæ Babenbergensis Ecclesie Clerus reuerentiâ cum dilectione, & obedientiam cum humilitate.

Primùm quidem Domine, gratiarum actiones vestræ paternitati referimus, & à Deo retributionem vobis postulamus, quòd in tantis negociis regni occupatus, aurem vestram à clamore nostro non auertistis; sed auxilium vestrum in tribulatione nostra, nobis affore, promissistis. Quæ beneuolentia nullis meritis nostris exigentibus nobis exhibita, nos adeò paternitati vestræ alligauit, vt nunquam eiusdem beneuolentiæ ob-

Nn. 3. liuisci

siuisci decreuerimus. Ex promissione itaque vestra, quam per Legatum nostrum audiimus, in specie adducti, iterum atque iterum ostium misericordiae vestrae pulsamus, & pedibus vestris prouoluci oramus, ut causam nostram, quam tractandam, pro gratia vestra, suscepistis, sicut vobis moris est, pro honore vestro, tum pro dilectione, Episcopi nostri, tum pro nostra semper mansura deuotione, perfecte & integre terminetis.

Nouerit autem Paternitas vestra, quod milites Domini N. imò exactores eius, fratrem & dispensatorem nostrum, & Sacerdotem Dei inhumanissime, & sicut eos decebat, tractauerunt, & tandem omnibus rebus suis & nostris retentis, scilicet VII. palafidis, & XVI. marcis, quibus nobis vinum comparandum erat, & quod sine lacrymis reminisci non valemus, vestibus omnibus vsque ad verecundam nuditatem abstractis, infirmum, & vix baculo innisum, peditem abire permiserunt. Sunt autem nomina eorum, qui hoc fecerunt, N. & N. & N. Caterorum verò nomina modo exciderunt. Quod nos Domine (quia oculi totius regni ad consilium prudentiae vestrae, & ad auxilium potentiae vestrae respiciunt) vestrae gratiae committimus; tanto de vestra misericordia praesumantes, quanto post hac, praeter omnibus, vobis volumus esse deuotiores.

XVI.

Epistola Adalberti Archiepiscopi Moguntini ad S. Othonem Episcopum Bambergensem.

De hoc Adalberto seu Alberto, lege Serrarium lib. 5. Rerum Mogunt. loquitur de Excommunicatione lata in Henricum V. maxime Anno 1116.



Adalbertus Dei gratia Moguntinus Archiepiscopus, & Apostolicae sedis Legatus, Venerabili fratri Othoni Babebergensi Episcopo salutem in Domino. Excommunicationem, quam, communicato fratrum & Principum consilio, in inuasorem Regni fecimus, iam dudum fraternitati vestrae per literas nostras significauimus; Sed, quia dubitamus, vtrum ad vos peruenerint